



25840



1647
K. WILNIE
K. WILNIE

DECISIO CONTROVERSIAE
IURIS CANONICI.

Sub felicissimis auspicijs

ILLVSTRISSIMI DOMINI
D. CASIMIRI LEONIS
SAPIENHA

M. D. L. Procancellarii, Slonimensis, Volpensis,
Luboszanensis, &c. Gubernatoris.

Facultatis Iurum in Alma Academia Vilnensi Soc. IESV, munificentissimi
FVNDATORIS.

25
K. WILNIE
K. WILNIE

IOSEPHO KONSTANTYNOWICZ

Artium & Philosophiae Magistro, Sacrae Theologiae &
Iuris Vtr. Auditore, nec non Academicarum
Disputationum Moderatore, Publicae
Disputationi Proposita.


Præsidente Clarissimo & Magnifico Dno ALEXAN-
DRO AARONE OLIZAROWSKI Iuris Vtriusq;
Doctore, Serenissimi Principis Neoburgensis
Consiliario & SS. Canonum
Ordinario Professore
In Alma Acad. Vilnen. S. I.

VILNAE Typis Acad. Soc. IESV.

1647

PRÆFATIO.

Merito, quia Tuo Iure, Iuris ad Te fero resolutiones **ILLVSTRIS** Domine; primū istud & lucubrati-
 onis publicæ argumentū, & nostræ in Te gratitudinis mo-
 numentum: non quod nunc tandem Tuorum in Alman
 Academiam beneficiorum memores, aut grati esse cæpe-
 rimus, sed quod ampliūs nos Tibi, & **SAPIENTIANO** Nomini,
 ex Iurium commodo obligatos esse didicerimus, neque
 enim ad æquitatem pensatur beneficiū, nisi percepti ma-
 gnitudo præbetur experimento; suum illi necessitas preti-
 um, & accepti ratio commodi adnumerat elogium. Ita
 sanè & vniuersa Academia, dum Tuis auspicijs erecti Iuris
 cōmoda animo metitur, ad solidiorem gratæ mentis curā,
 recentis beneficii illecta magnitudine assurgit. Quidni ve-
 rō assurgat? cū ad illustriā Literarii Nominis decora,
 quod vnicum publicis exposcebatur votis, Iurium intule-
 ris disciplinas; vt suas quisq; patrio sub Cœlo habeat A-
 thenas, nec fortunæ penuriam incuset, quisquis Legum
 & Iuris peritus, audire cupit, domestico satis diues censu
 & ingenio. Hinc fit vt ad Tui nominis venerationem, tot
 erudiantur ora quot per decreta Iurium ad Reipublicæ
 præsidium excoluntur ingenia. Tibi quisq; in acceptis re-
 feret, non quod Disciplinarum tantum numero Vilnensē
M. D. L. auxeris vniuersitatem, sed Iuris quoq; firmaris
 præsidii; quasi parum Tibi videretur liberali manu & cō-
 silio per se prodesse Patriæ, nisi ad eiusdem præsidium, alia
 quoq; ex literis prouideres adminicula. Is verè Heros es,
 qui & vt fortunis possis, & scias; neq; securum raræ feli-
citatatis



citatis censum reris, nisi cum, aut in ærario Patriæ, aut
gratorum Ciuium animis deponas. Literæ certé quan-
túm Tibi debeant, quia ex æquo recognoscere non possunt,
pérpetuo iurè Tuo & SAMEHANO Nomini manebunt obli-
gatæ. Ista vero Iuris Canonici resolutiones (quas apud
Te Illustrissime Domine eum summa votorum depono
venerabundus) cum accipies, vti liberalitatis Tux fætû,
amabis, & vt meæ censum gratitudinis solito fauore &
beneuolentia prosequeris. Cui, & Almæ Academiæ stu-
dia, & mea officia æternum socia esse volo.

*Illustrissime Celsitudinis Tux
Obsequiis addictissimus
Cliens*

Josephus Konstantynowicz

DECISIO CONTROVERSIAE IURIS CANONICI

ANTE QUAM CASVM REFERAM, BREVISSIME PRÆ-
mitto, Matrimonium ratum & non consummatum ob fauorem religi-
onis, non tantum quo ad thorum & cohabitationem, sed etiam quo
ad vinculum esse dissolubile, ita vt vno coniugum religionem pro-
fitente, alter possit ad secunda vota conuolare, Prius patet ex *c. Ex publico*,
de conuersione Coniugatorum. Vbi Alexander tertius, Pontifex maximus scribit
Episcopo Brixisiensi, vt sponsam de præsentī, non cognitam à Coniuge,
quæ dicebat se velle religionem ingredi, compelleret intra certum tempus
vel religionem ingredi, vel adhærere marito. *Mandamus* (sunt verba Pon-
tificis) *(quatenus si prædictus vir ipsam carnaliter non cognouerit, & eadem ad religionem*
transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad religionem transire,
vel ad virum suum redire infra duorum mensium spatium debeat, eam à sententia qua
teneatur absoluas (Erat enim prædicta mulier ab Episcopo Veronensi excommu-
niata, quod non fuerit ipsi obediens præcipienti, vt ad virum redire, &
ei conjugalem exhiberet affectum.) Et infra idem Papa. *Sane inquit, quod*
Dominus in Euangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis uxorem suam
dimittere, intelligendum est, secundum interpretationem sacri eloquii, de his, quorum
matrimonium carnali copula est consummatum; sine qua consumari non potest.

Alterum etiam, quod nimirum coniunx in sæculo manens licitè ac valide
aliud contrahat matrimonium, euidentis est ex *c. Verum post. de Conuers. coniug.*
vbi Alexander III. Papa. Archiepiscopo Salernitano sic scribit. *Post confer-*
sum legitimum de præsentī, licitum est alteri, altero etiam repugnante eligere monasteri-
um, (sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commissio non
interuenierit inter eos: & alteri remanenti (si commonitus continentiam seruare noluerit)
licitum est ad secunda vota transire. Quia cum non fuissent vna caro simul effecti, satis
potest vnus ad Deum transire, & alter in sæculo remanere.

Hoc præmissio.

Species facti (quod in Sueuia contigit) est huiusmodi. Sēpronius cū Titia
contraxit matrimoniū. Ante cuius consumationē Titia religionē est ingres-
sa, & vota, in ea, solennia emisit. Sēpronio in terra tēporis cælibe manente,
quidam sæpius Titiam præteritam suam coniugem visitat, labitur in incæ-
stum, & prolem ex illa suscipit. Tandem idem Sempronius accipit in
uxorem

uxorem cum omni solemnitate nuptiali Mæuiam, cum qua postea liberos procreat. Vnde aliquot quæstiunculæ instituuntur.

Prima est. *An Sempronius admissio cum Titia incestu, valide contraxit matrimonium cum Mæuia?*

Secunda est, *An ex copula Semprony cum Titia, legitimus fuerit partus, & potuit parentibus succedere?*

Tertia. *An proles Semprony ex Mæuia, legitime fuit suscepta, & gauderet iure successionis.*

Quarta. *An, si Sempronius peccauisset cum alia muliere, & non cum ea qua fuerat sibi coniunx, posuisset sibi impedimentum ad nuptias cum Mæuia?*

Quinta. *An propter incestum incurrit Sempronius in excommunicationem? Item an ex aliqua circumstantia potuit non incurrisse?*

Igitur quantum ad primum attinet, videtur omnino, quod Sempronius per copulam habitam cum Titia, intercluserit sibi aditum ad matrimonium cum Mæuia contrahendum; & per consequens contractus ille, cum Mæuia initus, non matrimonialis, sed incestuosus fuit. Quod copula cum Titia impedimentum sit dirimens contracti cum Mæuia Matrimonii, inde suaderi potest. Quia Sempronius per illam corporum cum Titia, commistionem, matrimonium cum illa consummasse censetur: at matrimonium, consummatum secundum omnes Theologos & Canonistas, tam diu impedit in coniugibus alia vota nuptialia, quamdiu alteruter illorum non moritur, & contrarius ipsorum conatus non tantum illicitus, sed etiam profusus inualidus est, etiam in casu, quo vnus coniugum religionem profiteretur, alioqui esset licita & valida in noua Lege bigamia, contra quam Christus instituit, & docet Ecclesia Catholica. Maior (quod videlicet per illam copulam censetur matrimonium fuisse consummatum) probatur auctoritate partim eorum, qui apud *Gl. c. 2. de conuers. coniug.* verbo *Remanere* dicunt non dirimi vinculum matrimonii rati professione religionis sed manere inefficax: cum quibus sentit *Hemic de Gandauo quodlib. 5. cap. 39. citatus à P. Sanchez de Matrimonio lib. 2. disp. 18. n. 1.* partim eorum qui teste *Pangormitano c. 2. n. 8. de conuers. coniug.* dicunt quidem dirimi matrimonium, non tamen statim professione secuta, sed dum manens in sæculo alio alligatur matrimonio.

Respondebit fortassis quispiam, per illam copulam vt pote peccaminosam & sacrilegam, non potuisse consumari matrimonium Semprony cum Titia, & sic non esse positum obicem eidem Sempronio ad verum coniugium cum Mæuia. Responsionis ratio esse videtur, quia illa incestuosa copula, in ordine ad Matrimonium consummandum, pro nulla debet reputari, prout est textus elegans in Iure Canonico. *Qua contra ius sunt, debent vtiq; pro infectis haberi in sexto de Reg. iur.* atqui prædicta copula, contra ius & fas fuit admilla, et 20

pro infecta haberi debet, paria enim sunt non facere, & inutiliter ac minus legitimè facere, nam actus propter legis prohibitionem, effectum suum sortiri non potest. *L. quoniam, ff. qui satisfacere coguntur, Gail. lib. 1. obs. 21., n. 12. & obs. 48. sub n. 3, & obs. 105, n. 13 & de Arrest. c. 4. n. 13.* Ergo copula illa, cum Titia habita, non ponet Sempronio ad aliud Matrimonium, etiam Titia viuente, impedimentum, iuxta vulgatum Iuris adagium. *Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, in 6. de reg. Jur.* Confirmatur eadem responsio, quia si maritus vi extorqueat à noua nupta copulam, intra bimestre tempus, quod conceditur coniugibus à iure ad deliberandum de ingressu religionis, potest adhuc coniunx vi à viro cognita, intra illos deliberationis menses ingredi religionem, ut docet *Gl. c. fin. verbo inuitas: dist. 55. Felinus c. causam de probationibus n. 4. Baldus L. 1. §. remouet, ff. de Postulat. Hypopolitus de Marsilijs l. 1 in princ. n. 87. ff. ad L. corn. de sicarijs,* & cum his multis Theologi. Hoc autem non aliunde prouenit, quam ex nullitate consumationis Matrimoni, quæ in resistentia legum attentata, caret viribus, non niq; iuris subsidio destituitur. Ergo. Sed istiusmodi responsio non tollit difficultatem; quia multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent. ut videre licet in impedimentis Matrimonialibus, quæ contrahendas nuptias infestant, contractas nullatenus dissolunt, ut docent Theologi cum Magistro præsertim *Antonius Cucus lib. 5. inst. maiorum; & Canonista ad lib. quædam decretalium de sponsalibus & Matrimonijs.* Sunt præterea plurimæ instantiæ, quæ prædictam responsionem, viribus carere ostendunt. Lex decuriones in metallum damnari, furcæ subisci, viuos exuri, vetat, nihilominus si sententiâ huiusmodi fuerint affecti, consistit, & non proprio motu iudicis, sed tantum auctoritate principis, pæna vel remittenda, vel commutanda est. *L. moris, §. sed enim, ff. de panis.* Ad tempus relegatis, neque omnia bona, neque partem adimi debere, rescriptis quibusdâ manifestatur, & tamè lētētia quæ aliter proferuntur infirmatur. *L. relegator, §. ad tempus, ff. de interdicitis, & relegatis,* Episcopo extra prouinciâ aliena altaria consecrare non licet, quod si fecerit, altaris consecratio rata manet, c. *Episcopus l. 7. q. 1.* Secundum ius ciuile, serui pro nullis habentur, *L. quod animet, ff. de reg. iuris;* & sicut in omnibus officiis, quæ tantum liberis personis leges deferunt, poni non possunt, *L. in omnibus officijs eod. tit.* ita quoque neque prætores, neque iudices fieri permittuntur, *L. cum Prator §. fin. ff. de iudic.* Respondit tamen *Vlpianus* ea rata atque firma mansisse, quæ à *Barbario Philippo*, seruo quidem fugitiuo, sed tamen prætore decreta fuerant, *L. Barbarianus, ff. de Offic. Præt.* Similiter lex vetat excommunicatum procuratorem fieri, c. post cessionem de probat; actus tamen per eum factus valet, si non publicè denunciatus fuerit. Latè *Felynus ad c. ad probandum. n. 8. de sent. & re iudic.* Denique ut alia penè infinita omittam, certum est, quod lex quæ sancta & ho-

nesta est prohibet dolum malum committi, *L. 1. ff. de dolo*, quia naturali æquitati dolum repugnat, metus quoq; illationem reprobatur, quæ sic liberum esse vult in rebus agendis consensum, *l. 1. ff. de dol. except.*, Vt Prætor se non habiturum ratum polliceatur, quod metus causa gestum erit, *l. 1. ff. de eo quod meto causa*, & tamen si dolum committatur valet contractus, & tantum doli exceptio competit, *L. si quis cum aliter, ff. de verborum obligationibus*. Si quis cum aliter (loquitur consultus) conuenisset obligari, aliter per machinationem obligatus est erit subtilitate iuris verè obstrictus, & tantum doli exceptione vti potest. Pari modo, quod metu gestum est nisi metus exceptione iuuetur aut rescindatur firmum manet.

Ad confirmationem dico, verum esse id quod supponitur, nimirum copulam vi à coniuge extortam, non impedire vim passò coniugi ingressum in religionem, sed nego per illam copulam non consumari Matrimonium. Nec ideo post eiusmodi copulam licitè & validè coniunx ingreditur religionem, quod per illam non consumetur Matrimonium, sed quia sponsus gravem intulit iniuriam sponsæ, cum non haberet ius copulam extorquendi ante bimestre concessum, *c. ex publico de conuers. coniug.* & sponsa non potest aliter ius suum recuperare, nisi per ingressum religionis. Adde quia dolum nemini debet patrocinari, nec viri culpa potest vxoris bonum impedire, ne reus ex suo delicto commodum sentiat, *c. ad nostram, de empt. & vend. & c. tue de cler. non resid. & c. sedes de rescriptis*

Denique quia propter hæresim, adulterium, & similia, potest mulier virum deserere, & ingredi religionem saluo matrimonii vinculo, ergo & propter prædictam violentiam, quâ non minus quàm cæteris, iura matrimonii violantur. Cæterum distinctionis istius illa est vtilitas, vt sciamus, illi, qui intra prædictum bimestre violenter cognouit vxorem, non licere contrahere matrimonium, quam diu illa viuât, etiâ religionè professâ liceret autè si copula non præcessisset.

Non obstante nihilominus dubitandi ratione ab initio posita, diserte pronuntio. Sempronium per prædictam cum Titia copulam non posuisse sibi impedimentum ad nuptias cum Mæuia celebrandas: & consequenter posterius Matrimonium, inter Sempronium & Mæuiam esse legitimum.

Hoc autem inde deduco; quia si quid posteriores Sempronii cum Mæuia nuptias impediret, illud esset consumatio prioris Matrimonii cum Titia, per illam sacrilegam fornicationem: sed nulla intercessit consumatio Matrimonii. Ergo, Maior clara, minor probatur, quia vbi non est ipsum Matrimonium, ibi eius consumatio esse non potest, at in proposito factò, non est matrimonium, ergo nec est illius consumatio. Maior iterum è clara, minor autem constat ex eo, quod per ingressum religionis, & in ea factam professionem omne matrimonii vinculum dissoluitur, & nihil maneat matrimonii inter per-

sonas, quarum vna non consumato matrimonio religionem est professã, adeo vt remanens in sæculo possit licite & valide, ad alia coniugii vota transire. Auctoritates oppositũ. Et abhinentes, reiiciuntur auctoritate Põr. Eusebii, Gregorii, Ioannis XXI., Alexandri III., Innocentis III. & nouissime Concilii Trid. s. 24. de matrim. can. 6. ibi *Si quis dixerit matrimonium ratum, non consumatum, per solennem religionis professionem alterius coniugis non dirimi anathema sit.* Atq; hæc vnica & fundamentalis est ratio totius istius negotii, ex qua faciliẽ responderetur ad

Questionem secundam. An videlicet ex copula Sempronii cum Titia legitimus fuerit parns, & utrum potuerit succedere parenti?

Supposito enim quod post vota solennia Titia, non amplius aliqua necessitudo coniugalis manserit inter illam & Sempronium, clarum est, illos fornicatos fuisse, & prolem illegitimam procreasse.

Dubium tãtũ remanet, vtutum nõ obstante illegitima nascendi conditione, adhuc illa proles, ius succedendi in bona parentum haberit. Ad cuius dubii intellectum, videndum in bona parentum haberit. Ad cuius dubii intellectum, videndum extra matrimonium procreati, distinctione soboles est appellanda. Liberi enim extra matrimonium procreati, distinctione Iuris Ciuilis, alii naturales, alii spurii, alii ex damnato coitu dicuntur. Naturales qui & paternæ successione sunt capaces, ij dicuntur, qui suscipiuntur ex concubina. Nec sufficit eos nasci ex soluto & soluta qualitercunque. Dicuntur autem naturales, quia eos sola natura genuit, non honestas coniugii, sunt autem huiusmodi liberi duplices videlicet naturales in genere, & naturales in specie. Naturales in genere sunt omnes extra matrimonium quoquo modo quæsitũ secundum *Gl in c. per venerabilem 13 super verbo non naturalib. ex qua sitij sunt legitimi.* Naturales in specie seu Bastardi, ij tantum dicuntur, qui ex concubina suscipiuntur. c. *liberi. 19. caus. 32. 9. 4.* qui & paternæ (vt dixi) hereditatis sunt capaces. Nec per hanc legum dispositionem magis fatetur diturno quã momentaneo peccato. Sed certitudinis ratio habetur siquidem in concubinato maior est certitudo cuius proles sit, quã in vagis amoribus.

Spurionum appellatione qui specialiter continentur, sunt in triplici differentia. Prino nati ex libera & seruo, qui patri non succedant cum seruus non habeat bona propria, *L. ex libera C. de suis & legitimis.* Secundo qui habent Patrem certum, sed talem qualem secundum honestatem demonstrare non licet, vt sunt filij voto religiosæ castitatis ligatorũ. Tertio, nati extra matrimonium & concubitatum ex soluto & soluta, ex copula cui ius ciuile penam non imponit, & huiusmodi sunt filij prostitutarum meretricum, qui vulgo quæsitũ dicuntur.

Ex damnato coitu sunt illi, qui procreantur ex illo complexu, cui lex ciuilibis penam temporalem imponit adulterii scilicet, & incestus. Dixi lex Ciuilibis quia de iure Diuino & Canonico mortaliter delinquit, qui cum alia quã propria

pria vxore habet consuetudinem *c. nemo*, & *c. meretrices* 11. *caus.* 32. q. 4.
 His præmissis, Cum Titia nec concubina Sempronii fuerit, nec publicè pu-
 dicitiam suam prostituerit, ideo proles ipsius nec naturalis in specie, nec
 spuria dicenda est, sed ex damnato coitu, adulterio scilicet spirituali & incæ-
 stu, quia per illum violata est sponsa Dei, qui est omnium nostrum Pater san-
 ctissimus & reuerendissimus. Hinc concludo prædictam prolem nec Patri
 nec Matri succedere potuisse. *Cap. si quid autem sin. nouel. 4. quibus modis,*
natural. effie. sui. Dixi nec matri, non tantum quia mater, in prædicto casu
 nostro voto paupertatis, & sibi diuitias, & proli ius successionis impediuit,
 sed etiam, quia licet naturales & spurij succedant semper matri non illu-
 stri, illustri autem tunc, quando illa non habet liberos exiustis nuptiis procreatos.
L. si qua illustris 5. C. ad S. C. Orficiantum, tamen ex damnato complexo nati, iu-
 re ciuili, tanquam indigni, à paterna & materna substantia repelluntur, imo
 & alimentis indigni censentur. *d. cap. sin. nouel. 4. quibus modis naturales effici-*
untur legitimi. Adeo istius modi liberi iure ciuili miseri sunt, vt vita illis sup-
 plicium, mors sit solatium. Ius tamen Canonicum æquitate ductum benigni-
 us cum illis processit & alendos à Parentibus constituit. *c. cum habet 5. & ibi*
Canonistæ ext. de eo qui duxit quam polluit per adult. Æquitas enim naturalis,
 suadet non neganda esse inuocentibus filiis alimenta, quia illa negare, est necare
L. necare 4. ff. de liberis agnoscendis, & c. pasce 21. dist. 25. Bartholus autem in
Authentica Ex complexu C. de incestis nuptiis docet, parentes huiusmodi liberis
 in testamento ratione alimentorum relinquere, & dotes filiabus constituere
 posse, siquidem dos succedit in locum alimentorum, quem sequitur Abbas in
d. c. cum haberet, & Angelus citatus à Schneidewino. de succes. liber. ex damna-
to coitu naturalium.

Ius statutarium M. D. Lithuaniz, omnes extra legitimum matrimonium
 quæsitos, à successione paterna reicit, *dist. 3. art. 28,* vbi durissimâ lege etiam
 illos à parentum hæreditate repellit, qui sunt nati in legitimo matrimonio ex illa
 quæ ante matrimonium fuit concubina mariti: durissima inquam lege, quia,
 de iure Communi Ciuili & Canonico, per subsequens Matrimonium, quod
 omnia præcedentia vitia purgat, *vt restat. gl. in c. immortui 20 de elect.* etiam ij le-
 gitimi efficiuntur, qui ante matrimonium ex soluto & soluta fuerant procre-
 ati, *c. conquestus, 1. qui filij sunt legitimi, & c. tanta eod.* vbi Alexander 3^{us} Pont.
 Max. eleganter respondens, *Tanta (ait) est vis Matrimonij, vt qui ante sunt ge-*
niti, post contractum matrimonium legitimi habeantur: Ius vero nostrum prouinciale,
 etiam post legitimum matrimonium, prolem ex ea susceptam, quæ prius
 fuit concubina, spuriam iudicat, & à successione hæreditaria remouet. An
 autem Statutum hoc M. D. Lithu: saltem in ipso Ducatu sit obseruandum, ali-
 bi commodius videbimus. Nunc problema esto.

Tertia Quæstio est, Vtrum proles sempronij ex Mæuia suscepta fuerit legitima, & eius successione habuerit?

Et videtur non fuisse legitima, quia & matrimonium inter illos legitimum fuisse non videtur ob crimen cum Titia commissum, crimen autem est impedimentum matrimonij, non tantum contrahendum impediens, sed etiam contractum dirimens, iuxta illos versiculos Theologis & Canonistis visitatos,

Error; conditio, votum, cognatio, crimen &c.

Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Verum hæc non attendens, assero, prolem Sempronij ex Mæuia susceptam fuisse legitimam, & quod inde sequitur etiam ius successione habuisse. Ratio est, quia ex legitimo matrimonio non potest non legitima esse natiuitas, vt per se patet, at inter Sempronium & Mæuiam legitimæ nuptiæ fuerant, ergo. Ad fundamentum in oppositum allatum, respondeo, incestum Sempronij cum Titia esse quidem crimen, sed crimen in genere non in specie, seu esse vitium, quod, sicut cætera vitia, genericum criminis vocabulum participat, non esse autem crimen speciale, seu quod specialiter contineat malitiam, matrimonij contrahendi impeditiuam, & contracti distractiuam, quale crimen inter cætera à Theologis, Canonistis, & Legistis, agnoscitur tunc, quando vir conueniens cum aliqua fæmina, pactum facit futuri matrimonij cum illa contrahendi, & deinde suam vxorem, vt suo hoc voto potiatur, occidit: *c. laudabilem, de conuers. infidel.*

Quarta Quæstio. An si Sempronius peccauisset cum alia muliere, & non cum ea qua fuerat sibi coniunx, posuisset sibi impedimentum ad nuptias cum Mæuia.

Pars affirmans hac ratione potest suaderi, quia dato casu quo Sempronius ante ingressum Titia in religionem, lapsus fuisset cum aliqua fæmina in adulterium, ob quod Titia illum deteruisset, & postea religionem intrauisset; Vtiq; in tali euentu Titia præcisè ex adulterio Sempronij, non autem ex beneficio non consummati matrimonij fuisset religionem professa, & Sempronius ob crimen adulterij fuisset ab illa desertus, atqui clarum est, eos, qui ex suis delictis separantur, nequaquam posse ad alia vota transire, quia nimis alioqui esset iniquum, aliquem ex sua culpa commodum aliquod percipere.

Sed verius est, Sempronio etiam cum aliâ, quam Titia, in adulterium lapsò, concurrentibus circumstantiis etiam casu proximè figurato dictis, nullum potuisse poni impedimentum, ad matrimonium cum Mæuia contrahendum. Quia non ideo Sempronius aliud contraxisset matrimonium, quod fuisset à Titia desertus, cuius solius desertionis adulterium causa esse potuisset, sed ideo, quod Titia ante consummatum matrimonium religionem fuisset professa. Iam verò cum explorati iuris sit, matrimonium ratum, nec consummatum, etiã quo ad vinculum, per professionem religionis dissolui; adulterium Sempronij, præcedens

cedens professionem religiosam Titiae; ad negotium matrimonii cum Mæuia contrahendi; impertinens fuisset minimèq; illud impediuisset.

Quinta quæstio An propter incestum incurrit Sempronius in excommunicationem? Item an ex aliqua circumstantia potuit non incurrisse?

Quæstio hæc duplicem potest intellectum continere. Primus est. An Sempronius hac culpâ meruit, vt potuerit iuste puniri per potestatem Ecclesiasticam penâ excommunicationis. Secundus verò sensus est; an ex suo Sacrilegio ipso facto Sempronius incurrit excommunicationem latæ sententiæ. Et quidem in primo sensu; facilius est responsio; nimirum violatorem Sanctimonialis; potuisse à iudice sicut aliis pœnis; ita & anathemate feriri. In secundo verò sensu difficultatem facit; *capitulum si qua monacharum, caus. 27. q. 1. vbi Gregorius Pontif. Ianuario Episcopo Caralitano in hæc verba rescribit. Si qua Monacharum vel per anteriorem licentiam; vel per impunitatis prauam consuetudinem ad lapsum deducta fuerit; aut in stupri fuerit perducta voraginem; hanc post competentis severitatem vindicta; in aliud districtius monasterium virginum; in penitentia volumus redigi; vt illic orationibus atq; ieiunijs vacet; & sic penitendo proficiat & metuendum ceteris; arctioris discipline præstet exemplum.*

Is autem qui cum huiusmodi faminis in aliqua fuerit iniquitate repertus; communione priuetur: Si laicus est: si verò clericus; à suo quoq; remotus officio; pro suis continuo lugendis excessibus in monasterium derrudatur. Ex quo Pontificis rescripto videtur dicendum; Sempronium ipso facto excommunicationem latæ sententiæ incurrisse.

Contrarium tamen assero. Moueor in primis auctoritate Theologorum; qui de hoc peccato ex professo accuratissimè tractantes; non faciunt mentionem huiusmodi censuræ; quam si annexam scirent; vtq; in tam graui materia nequaquam silerent; maximè cum minima quæq; in hac materia non discussa non relinquatur. Ad fundamentum respondeo; ius dicti capituli & antiquum esse; & pœnam imperatiuo modo; videlicet per verbum *Priuetur* constituerè; quod signum est secundum omnes Theologos; & Canonistas; non latæ excommunicationis à iure; sed ferendæ ab homine. Deinde pœnam illam; sacras vestales violantibus; non ratione sacrilegii; sed ratione ingressus in monasteria esse constitutam; vt acutè aduertit Iacobus de Grassijs *Decis. Aurearū lib. 2. de Sacrilegij speciebus; cap. 48. n. 15;* cuius verba hæc sunt. *Quod autem dixi de pena excommunicationis; intelligi debet; modo sibi Episcopus hunc casum reseruauerit; sub pena excommunicationis latæ sententiæ; alias violantibus moniales non est annexa excommunicatio de iure communi; nisi diabolicâ instigatione coacti; causa huius criminis perpetrandi; monasterij septa ingrederentur; nam tunc non ratione Sacrilegij; sed ingressus essent excommunicati. vt habetur per Conc. Trid. ses. vii. cap. Bonifacij Octauæ*

Dato ergo casu, quod sempronius extra septa Monasterii copiam habuisset Titia, tunc non ille incurrisset excommunicationem latae sententiae, sed ipsa Titia. Moniales enim e suis monasteriis egredientes extra casus exceptos ipso iure excommunicatae sunt, excommunicatione maiori latae sententiae, Summo Pontifici reſeruata. Ut ostendit Barbosa iuribus & Doctoribus citatis. *Iuris Ecclesiastici lib. 1. de Monialibus & sacris virginibus, cap. 44. n. 83.*

Quod si Titia ex causis à iure permissis extra monasterium posita incidisset cū Sempronio in dictum sacrilegium, tunc, nec ille, nec illa, excommunicationi latae sententiae esset obnoxia. Atq; hæc sunt quæ mihi in præſentiarum de proposita materia occurrerunt.

*Hæ Decisiones satis in
Iure fundatæ
imprimantur.*

BENEDICTVS DE SOXO S. IESV
Sacrae Theol: Doctor, & Academiae Vilnensis
Procancellarius.

*Casus iste ex Iuris fundamentis solide decisus,
ideo eum typo dignum censeo.*

SIMON DILGER I. D. Ordinarius
Iuris Ciuilibus in Scholis Sapienhanis
Professor, & pro tempore Iuridicæ
facultatis Decanus.

